



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Annales Episcoporum Slesvicensium

Cypræus, Johann Adolph

Coloniæ Agrippinæ, 1634

Capvt XIV. Canvtvs II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64615)

CAPVT XIV.

CANVTVS II. *vel Magnus, Rex Dania, 67. Anglia, Norvvegia Suetia, Vandalia & Hibernia Regna inter Filios distribuit, sibi tamen reseruato summo Imperio: Gaardreche promulgauit: Monachos in Daniam introduxit. Sub quo Slesvici emporium Anglorum, vulgò Stapel floruit, vnde merces suas, cum transfretatio per fretum Oresundicum nondum adhuc ita frequens ac vsitata esset, ex mari Occidentali ad Orientale. & contra, per duorum milliarium spatium, plaustris transfuehi curauerunt, in Anglia obiit anno 1036. VVinthonia sepultus.*

Ezico tranquillam, satur annis, ducere vitam

Rege pio potuit, non labor vllus erat.

Nam Sclauos seuo vicit Rex Marte feroces,

Ac Anglum, mæsto qui obediere metu.

A. C. 1018.

REGI Suenoni successit Canutus Filius, qui Angliam subiugauit anno 1017. sedente Ioanne II. Pontifice, vbi & diem extremum clausit. (*Regnavit Knut in Anglia, Nordmannia simul & Dania, quod nulli Regum prius contigit in Dania. Annal. fol. 117.*) Princeps optimus & religiosissimus, diuinæ veritatis fideiq; Catholicæ propagator studiosissimus & defensor acerrimus. His temporibus anno nimirum 1030. (*vel potius anno 1013. Ezico qui Popponi successit. (Annal. f. 117.) Slesuicensem Ecclesiam rexit, cuius nomen & in Catalogum Episcoporum relatum est. (Commenta. Ada Post obitum Popponis successit Ezico, qui ad Egdoram perueniens, aegritudine correptus migravit è viuus.*) Missus autem fuit & consecratus ab Vnvvano Episcopo Hamburgensi,

qui Slesuicensi Ecclesiæ præfesset. Ordinati quidem fuerunt plurimi, quorum nomina exstant. Quibus autem locis federint, certò non constat. (*Adamus tradit à Libentio Archiepiscopo missum esse Eziconem, lib. 2. c. 32. qui obiit Anno 1013. Refert Adamus post mortem Adaldaq̄ Iutlandiam totam in duos Episcopatus diuisam esse, Ripensem nimirum & Slesuicensem, Arhusiensi ibi antiquato, & Annal.*) Verisimile est, cum nullæ possessiones, aut prouentus Episcopis attributi essent, & quòd tempus persequutionis incumberet, (*Ad.*) plerosque, quorum meminerunt Historiæ, in loca vicina & remota Euangelij propagandi & publicandi gratiâ missos esse, & nullas certas sedes habuisse. Ezico tamen nullas peregrinationes suscepisse, sed domi permansisse, (*Ada. Ezico domi sedit. c. 34.*) & in suâ Diœcesi Euangelium prædicasse, munereque suo functus fuisse legitur, (à Vandalis eiectus, cum Ecclesiæ Aldenburgensi præfuisse) quòd laboribus exhaustus viribusq̄ fractus ac debilitatus, pace ac tranquillitate, quæ tunc Ecclesiæ sub Canuto Rege obtigisset, gauderet ac delectaretur. Nam Canutus debellandis ac subiugandis Exteris occupatus, Daniam tranquillam ac pacatam reddere summopere studebat. Quo factum, vt Christiana Religio indies cresceret, Sacerdotibus fidelibusq̄; Dei ministris in pace & tranquillitate in id vnicè incumbentibus, vt verbum Dei longè lateque disseminaretur: cuius cultus atque exercitium viuo Sue none aliquamdiu conqueuerant, quòd is abnegatâ religione Apostata factus esset, Quamuis tandem ad meliorem frugem sese receperit, & resipuerit, vt supra ostendimus. Canutus autem Rex, vt belli gloriâ, ita & munificentiam erga Ecclesias, ac Sacerdotes clarere cœpit. Sclauos bis subiugauit. (*De Gotscalco Principe Sclauorum, qui Christianos persequutus est, eiusq̄; pœnitentia Helmoldus latè cap. 19. Qui postea duxit Filiam Regis Danorum,*

*rum, Magni scilicet, ibidem.) Sembos deuicit, Angliam in suam potestatem redegit, & finitimos metu adactos pacem petere ac inire coegit. Filiam suam Gunnildam Henrico III. cognomento Nigro, Imperatori, Conradi II. Saliqui Imperatoris Filio nuptui tradidit. Cum Imperatore Romam proficiscitur, tum ut memoriam Maiorum suorum & Gothorum, à quibus Roma capta & euersa esset, renouaret, tum ut pietatem ac internam animi deuotionem indicaret ac testatam faceret: inde epistolam conscripsit longam ac ponderosissimam, ex qua tam amorem ac uenerationem eius erga SS. Apostolicam sedem, quam insignem eius pietatem & clementiam clarè cernere ac perspicere licet, quæ epistola tum à Wilhelmo Malmesburiensi de *Gest. Reg. Angl. lib. 2. c. 11.* tum etiam ex parte ab *Ingulpho* ad omnem posteritatem memoriæ prodita est: eam hic inserere, non abs re neque inutile fore iudicauit.*

CNYTO Rex totius Angliæ, & Danamarchiæ, & Norrvægiæ, & magnæ partis Suanonum Egelnoto Metropolitano; & Alfrico Eboracensi, omnibusq; Episcopis & Primatibus, & toti genti Anglorum tam nobiles quam plebeis salutem.

Notifico vobis nouiter me esse Romam, oratum pro redemptione peccatorum meorum & pro salute regnorum, quicumq; subiacent regimini, populorum. Hanc quidem professionem Deo iam olim deuoueram, sed pro negotijs regni & causis impediens huc vsque non poteram persicere: nunc autem ipsi Deo meo omnipotenti valde humiliter gratias ago, quod concessit in vita mea Petrum & Paulum beatos Apostolos, & omne sanctuarium, quod intra urbem Romam aut extra addiscere, potui expetere, & secundum desiderium meum presentialiter venerari & adorari. Et ideo hoc maxime patraui, quia à sapientibus didici S. Petrum Apostolum magnam potestatem accepisse à Domino ligandi & soluendi, clauigerumq; esse Regni cælestis, & ideo specialiter

eius patrociniū apud Deum expetere, valde vtile duxi.
 Sit autem vobis notum, quia magna congregatio nobilium in ipsa solemnitate Paschali ibi cum Domino Papa Iohanne & Imperatore Conrado erat, scilicet omnes Principes gentium à monte Gargano vsque ad istud proximum mare. Qui omnes me & honorifice susceperunt & magnificis donis honorauerunt. Maxime autem ab Imperatore donis varijs & muneribus honoratus sum, tam in vasis aureis & argenteis, quam in pallijs & vestibus valde preciosis. Locutus sum igitur cum ipso Imperatore & Domino Papa, & Principibus qui ibi erant, de necessitatibus totius populi mei, tam Angli quam Dani, vt eis concederetur lex æquior & pax securior in via Romam adeundi, & ne tot clausuris per viam arcerentur, & propter iniustum teloneum fatigarentur. Annuitq; postulatibus Imperator & Rudolphus Rex, qui maxime ipsarum clausurarum dominatur: cunctiq; Principes edictis firmarunt, vt homines mei, tam mercatores quam alij orandi gratia viatores, absque omni anguria clausurarum & teloneorum cum firma pace Romam eant & redeant. Conquestus igitur sum coram Domino Papa, & mihi valde displicere dixi, quod mei Archiepiscopi in tantum angariabantur immensitate pecuniarum, quæ ab ijs expetebantur, dum pro pallio accipiendo secundum morem, Apostolicam sedem expeterent: decretumq; est ne id deinceps fiat. Cuncta enim, quæ a Domino Papa & ab Imperatore, & à Rege Rudolpho, ceterisq; Principibus, per quorum terras nobis transitus est ad Romam, pro mea gentis vtilitate postulabam, libenter annuerunt, & concessa etiam Sacramento firmarunt sub testimonio quatuor Archiepiscoporum, & innumera multitudinis Ducum, & Nobilium, qui aderant. Quapropter Deo omnipotenti gratias magnificas reddo, quia omnia quæ desideraueram, prout mente decreueram, prospere perfeci, voti q; meis ad velle satisfeci. Nunc itaq; sit notum, quia ipsi Deo suppliciter deuoui, meam vitam à modo in omnibus iustificare, & regna mihi subdita, populosq; iuste & pie regere, æquumq; iudicium per
 omnia

omnia obseruare: & si quid per meæ iuuentutis intemperantiam aut negligentiam hæctenus, præter quod iustum erat, est actum, totum Deo auxiliante, dispono emendare. Idcirco obtestor & præcipio meis Consiliariis, quibus Regni consilia credidi, ne vlllo modo, aut propter meum timorem, aut alicuius potentis personæ fauorem, aliquam iniustitiam à modo consentiant, vel faciant pullulare in omni regno meo. Præcipio omnibus etiam Vicecomitibus & præpositis vniuersi Regni mei, si meam volunt habere amicitiam, aut suam salutem, vt vlli hominum nec diuiti, nec pauperi vim iniustam inferant, sed omnibus tam Nobilibus quam ignobilibus sit fas iusta lege potiundi, à qua nec propter fauorem Regium, nec propter alicuius potentis personam, nec propter mihi congerendam pecuniam vlllo modo deuiant: quia mihi nulla necessitas est, vt iniqua exactione mihi pecunia congeratur. Ego autem notum vobis fieri volo, quod eadem via qua exiui regrediens, Danimarchiam tendo, pacem & firmum pactum, omnium Danorum consilio, compositurus cum eis gentibus, quæ nos & vita & regno iuuare, si eis fuisset possibile, volebant, sed non potuerunt, Deo scilicet virtutem eorum destruyente, qui nos sua benignitate in regno & honore conseruet, omniumq; inimicorum nostrorum potentiam annibilet. Composita denique pace cum Gentibus quæ in circuitu nostro sunt, dispositoq; & pacato omni regno nostro hic in Oriente, ita vt nulla parte bellum, aut inimicitias aliquorum timere habeamus, quam citius hac æstate apparatus nauigij habere potero, Angliam venire dispono. Hanc autem epistolam iam præmisi, vt de mea prosperitate omnis populus Regni mei latificetur, quia vt vosipsi scitis, nunquam memetipsum nec meum laborem abstinui, nec adhuc abstinere impendere pro omni populi mei necessaria vtilitate. Nunc igitur obtestor omnes Episcopos & regni mei præpositos per fidem quam mihi debetis & Deo, quatenus faciat is, vt antequam Angliam veniam, omnia debita quæ secundum legem antiquam debemus, sint persoluta, scilicet eleemosyna

pro aratris & decimæ animalium ipso anno procreatorum & denarij, quos Romam ad sanctum Petrum debetis, siue ex urbibus siue ex villis, & mediante Augusto decimæ frugum & in festiuitate sancti Martini primitiæ seminum ad Ecclesiam, sub cuius parochia quisq; degit quæ anglice Curescet vel (Chireschet) nominatur: Hæc & alia, si cum venero, non erunt persoluta, regia exactio secundum leges, in quem culpa cadit, districtè absque venia comparebit. Potentia quoque Regis Canuti maxima longèque amplissima fuit. Nam Norvvegix, Daniæ, Suetiæ, Scotiæ, & Gothorum Rex creatus ac designatus erat. (Anno Domini 1036. Conradus Imperator Filiam Regis Knut Henrico Filio suo accepit in matrimonium. Et regio fastu statim Italiam ingressus, Knut Regem itineris sui comitem adsumsit, potentia trium Regnorum barbaris gentibus valde terribilem. Regno fecit iustitiam. Knut autem cum tres haberet filios, singulos super singula regna posuit, ipse aliquando visitans Danos, aliquando verò Nordmannos, sæpius autem sedit in Anglia. Annal. f. 119. Sueni Regi Danorum Knut Filius eius successit, qui deuictò Adelrad Rege Anglorum, victor ab Anglia rediens, in ditioe sua per annos multos Regnum Daniæ possedit & Angliæ. Annal.) In legibus ferendis & iure constituendo æquissimus fuit, quique ipsemet legibus, quas tulisset, sese lubens subijceret. Exstant adhuc leges, quas Anglis dedit in Archæonomiâ Lælandi. Templum Roskildense exædificauit, nec non diui Laurentij Lundis. Quod & ipsum magno argumento est, eum non minus Religionis propagandæ ac defendendæ, quam Regni dilatandi studiosissimum fuisse. Ex ærario ingentem auri vim ad sustentandos Sacerdotes erogauit, Cænobia quoque Monachorum habitationibus & cellulis amplificauit. Ita factum est, vt moriens numerosum gregem Sacerdotum, Canonicorum regulariter viuentium, & Monachorum post se reliquerit. Vt qui primus

Mo-

Monachis ac Religiosis in Dania ianuam quasi aperuerit, aditumque patefecerit. Tam læto atque exoptato itaque, tamque tranquillo ac quieto rerum statu, mirum non est, si Ezico placidè ætatem exegerit. Nam & ante Slauorum irruptionem, & motum qui paulò post sequutus est, diem suum obiit. Talis itaque fuit status Ecclesiæ, quamdiu vixit Ezico. (*Ezico ad Egdoram perueniens, aegritudine correptus migravit è viuis. Ad. glossa. c. 46. 2. & Annal. fol. 117. Idem anno 1029. factum esse scribit. Ada. cap. 38.*)

C A P V T X V.

VT autem historiam Canuti resque; id temporis gestas ulterius persequar. Canutus Rex, Angliam deuictam, cum Episcopos aliquot in Daniam adduxisset, indignè admodum hoc ipsum tulit Vnvanus Archiepiscopus Hamburgensis, ideoque Gerbrandum ex Angliam redeuntem in custodiam tradidit, eam de causa, quod d is incio & inconsulto Vnvano, ab Eltrodo Anglorum Archiepiscopo ordinatus esset. Gerbrandus quo carcere liberaretur, Vnvano fidem ac obedientiam promisit. Nam & illum liberaliter habitum Vnvanus sibi summam familiaritate deuinxerat, eo tempore, quo detentus esset, ut hac ratione de iniuria illata Gerbrando aliquo pacto satisfaceret, eumque sibi offensum iterum amicum ac placatum redderet. Itaque priusquam eam de re Rex certior factus esset, Gerbrandum unam cum suis ad Regem mittit cum muneribus (A. c. 38.) Vnvanus, qui ei de rebus in Angliam feliciter gestis gratularetur; eumque de Episcoporum in Angliam factam electione reprehenderet & obiurgaret.